



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651


Capvt XXIV. Per laudem gloriamq[ue] humanam, multos non solùm ad
artes, verùm etiam ad virtutes fuisse excitatos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

quem honorem, facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die: nam
 antea inimici erant ad inuicem. Quin & subditi honoribus delini-
 untur, ut iugum subiectionis æquius ferant. Non enim putant se
 seruire, si sentiant honorari. Quamobrem interrogatus Apollo-
 nius à Babylonix rege, quo modo tutò regnare posset? respondit,
 Si multos honoraueris. Discunt enim vicissim regem honorare,
 qui, quid sit honorari, experiuntur. Neque sanè habent maiorem
 mercedem, quam virtuti aliorum reponant, honore, quo præ-
 clara illorum facta venerentur; præsertim apud eos, qui nebulas
 in pariete solent adorare.

CAPVT XXIV.

Per laudem gloriamq; humanam, multos non solam ad artes,
 verum etiam ad virtutes fuisse excitatos.

 Vam utiles, imò quàm necessariae sint mortalibus artes
 in hac vita, quotidie experi mur. Atqui honor ad artes
 quærendas homines incitat, ad inueniendas iuuat, ro-
 borat ad amplificandas. Vetus enim è Platone dictum illud tranf-
 tulit Cicero: *Honos alit artes*. Sicut igitur veterum heroum quò
 quisque ingeniosior erat, eò liberalium artium cognitione magis
 delectabatur; quæ delectatio ut cresceret, præmijs nouarum arti-
 um inuētores, vel magistros incitauerunt. Quemadmodum e-
 nim agri & horti fertiliores sunt, si largiter irrigentur; ita bonæ
 artes eximiaque ingenia liberalitate, honorificentia, & benigni-
 tate magis efflorescunt, si habeant fautores. *Da Mecanates, plures
 habebis Marones*, inquebat ille. Erat enim ille Pœtarum aman-
 tissimus, ut eis benefacere vellet: erat ditissimus, & Augusto ex
 intimis, ut benefacere posset. Et quis est mortalium omnium,
 qui non, si laborum suorum fructum speret, ad quiduis promptior
 alacriorque efficiatur? Quare mirandum non est, olim tot artes
 repertas esse atque studia litterarum tantopere floruisse, cum præ-
 ci proceres tam grati, tamque munifici fuerint aduersus eos, qui
 doctrina, peritiaque liberalium, immò etiam mechanicarum ar-
 tium excelluerunt. Olim, quando viri docti & prudentes rerum
 potiebantur, viros quoque doctos honorabant; nunc quia saepe

Cic. lib. 1.
 Tuscul.

rudes ad clauum promouentur, vel grassantur, doctos despiciunt, olim eruditos fouebant; nunc eosdem deprimunt: olim amabant, colebant, locupletabant rerum peritos; nunc vel inuidi, vel fordidus, vel morosi sunt erga eosdem; quia non intelligunt eorum labores, neque experti sunt molestias, quas illi subierunt. Denique ars non habet osorem, nisi ignorantem; si enim pretium illius apprehenderet mente, propter artem amaret artificem imperitur. Nimirum quod indoctior est quisque, & imprudentior, enimvero stolidior, eò sua magis aestimat, magisque deprimat aliena. Ab hoc errore, ut homines abducerentur, atque ut omnia ex industria facere assuescerent, voluit diuina sapientia, & artes, & virtutes, honoribus acui. Siquidem, ut Claudianus canit,

Egregios inuitant premia mores.

Clodian. in
laud. Stilico-
nis. paneg. 2.
Bruton, lib. 3.

Et quamuis multi boni artifices malis sint moribus, tamen etiam hoc saeculo à multis honorantur, ob utilitatem. Apud Thessalos capitale est, occidere ciconiam, non ob aliud, nisi quod serpentes interficiat: parciunt & apud Britannos miluis, quod urberum raptis extis repurgent: ita & opificibus & artificibus quibusdam bibulis, & ganeonibus, honor, habetur, non quod ipsi digni sint, sed quod illorum opera nobis sint vsui. Apollonius rogatus à Babyloniarum rege, quomodo tutò regnare posset, *Si multos inquebat, honoraueris, paucis verò credideris.*

II.

Scaliger. lib.
3. Poëtics.
cap. 37.

Plutarch. in
vita Nicia.

Quantum stimulum artificibus adiecit Alexander Macedo, cum edicto vetuit, ne quis se præter Lysippum ære, Praxitelem marmore, Apellem coloribusINGERET? Titillauit & Æschylum mirificè, quod populus Atheniensis statuerat, ut solius illius fabulæ post eius mortem referrentur. Hinc falsum illud eius dictum, *Cum Euripide simul mortem tragediam*: quia eo mortuo, tragoedia illius non recitabantur, sed suæ tantum. Quamquam Euripidis tragicorum principis tanta fuit authoritas, apud Syracusanos, ut eum duce Gylippo Syracusani maximam cladem Atheniensibus intulissent, Niciam & Demosthenem Imperatores occidissent, multos captiuos duxissent; multi captiuorum, cum versus Euripidis memoria tenerent, ob eos ipsos, libertate sint donati à Siculis hunc Poëtam summè admirantibus: qui postea Atheas reuersi, Euripidi pro libertate data gratias agebant.

bant. Multi per ciuitates Siciliae dispersi ac vagi, victum sibi horum versuum recitatione comparabant. Quae res non amorem tantum laboris, verum etiam enthusiasum, aut furorem quendam in Poeta excitauit; qualem in se quoque fuisse excitatum fatetur Lucretius, qui ita canit:

Percussit thyrso laudum spes magna meum cor.

Apud Seruium legimus, Virgilium Poetam tres suos libros Aeneidos Augusto recitasse. II. III. & VI. sed sextum maxime ob Octauiam Augusti sororem, Marcelli matrem, quem Marcellum sibi Augustus adoptauerat, qui terris ereptus est, Anno XVIII suae aetatis, morbo correptus. Haec igitur Octauia, cum recitationi interesset, & Virgilius ad carmina illa venisset, circa finem VI. libri, quibus Marcelli luctum describit, animo defecisse dicitur, quando ad illum peruentum est locum.

Heu miserande puer, si qua fata aspera rumpas.

Tu Marcellus eris.

Ex eo animi deliquio aegre refocillata Octauia, fertur Virgilio silentium indixisse; sed dena sestertia pro singulis versibus numerari iussisse, qui versus sunt vnus & viginti numero. Poeta igitur paucis versibus meruit supra quinque milia aureorum. Honorarunt & Homerum Cretenses, qui eum, ob illustre opus, mille numismatis dono datis condecorauerunt; idque genus honoris vt constaret etiam posteris, ac perennaret, publico loco columnae incidendum curauerunt. Obtrigit & Chæriilo poetae hic honos, qui pro singulis versibus singulos stateres reportauit. Antilochus autem ob pauca sanè carmina à Lysandro retulit pileum argento impletum. Neque omitti debet Seuerus Cæsar, qui Oppiano, quod piscium genera, naturam, & qua arte singuli capiendi sint, numeris descripsisset, pro quolibet versu aureum iussit persolui; illaque sua munificentia tantam hominibus excitauit admirationem, vt Oppiani carmina, ad hodiernum vsque diem, aurea nomenentur. Horum omnium carmina non solum fuerunt inaurata, quia erant pretiosa, verum etiam pretiosa fecit spes inaurandorum. Certè vix quisquam poeta fuit, qui non cecinit, vt caneretur; & non lusit, vt ei plauderetur. Vena poetica sine laude, est

Ita Phil. Cas
mer. cent. 3.
Horar. sub
sec. 6. 4.

Virgil. lib. 6.
Aeneid.

de, est arena sine calce. Hinc in Comœdijs consueta illa addebat
 tur clausula: PLAUDITE.

HI.

Quin & oratores accendit laudis amor, & historicos, & alios
 scriptores, quorum libri lucernam olent. Neque enim cum
 seruili se schemâ procedere ratus est Cicero, quando dicere potuit
Oratores visi sumus. Et apud alios quoque magnam vim habuit
 populi acclamatio. Placuit & Demosthenes sibi, quando intel-
 lexit, nomen suum ad regem vsque Persarum perlatum esse. Nam
 is per litteras satrapis imperauit pecuniam vt darent Demosthe-
 ni, atque consilijs eius, præ omnibus Græcis, obtemperarent,
 quòd tumultibus Græcorum distingere Macedonem & inuoluere,
 valeret. Comperit hæc postea Alexander, qui epistolas quasdam
 Demosthenis, & Sardibus inuenit ducum regionum monumenta,
 quibus exprimebatur pecuniæ ei datæ summa. Quid putemus ani-
 mi fuisse illi oratori, de quo sacra pagina hæc habet: *Statuso au-
 tem die Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali, & conciona-
 batur ad eos. Populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominum.*
 Prodiisset vtique sæpius ad dicendum, nisi diuina Nemesis iubente,
 aqua illi hæssisset. D. Hieronymus testatur, à Gadibus homines
 Romam venisse, vnius T. Liuij videndi studio, cum faciundæ eius
 fama ipsos traxisset. Hi maiore admiratione Liuium intui sunt,
 qui populi Romani res gestas scripsisset, quàm urbem illam, quæ
 res ipsas ediderat; multis admiratione captis, quòd in vrbe orbis
 terrarum principe, in qua innumerabilia erant, quæ spectare ho-
 mines cupere possent, aliud esset, quod Gaditani plus, quàm vr-
 bem ipsam cernere desiderarent. Habebat tunc Liuius caussam
 & stimulum plura scribendi, vt plura essent, quæ Gaditanos rape-
 rent in admirationem. Et Iosephi quoque Iudæi excitatus est ca-
 lamus, quando propter libros de captiuitate Iudaica scriptos sta-
 tuam Romæ obtinuit, sub Vespasianis. Denique, ne in infinitum
 hîc campum excurram, Ptolomæus Philadelphus Ægyptiorum
 Rex, qui quinto quoque die priuatorum caussas audire solebat,
 semel verò in mense legatos, quàm primùm septuaginta duo Iu-
 dæi interpretes venerunt, cum illis, teste Iosepho, assiduè per duo-
 decim dies versatus est, tum vt eos honore debito exciperet, tum
 vt ad opus æterna memoria dignum animaret. *Mechanicas quo-
 que*

Plutarch. in
 Demosthe-
 ne.

Act. 12. 22.

Fulgos. lib. 2.
 cap. 5.

Ioseph lib. 12.
 Antiq. c. 2.

que artes, quamuis earum artifices lucrum potiùs spectent, quàm famam, tamen laus quoque sæpe produxit. Vnum de mille pro-
mam, in quo peritia nomen, nominis honor artem auxit. Deme-
trius Poliorcetes erat in excogitandis bellicis machinis supra mô-
dum industrius, multa que, præter architectorum artem, inuenie-
bat. Ex quo, vt Diodorus refert, *Poliorcetes*, id est, vrbium euer-
for nominatus est. Hac nominis laude extimulatus, in oppugna-
tionibus tanta vi atque impetu utebatur, vt nullus ica firmus mu-
rus esse videretur, qui posset obsessis aduersus illum præbere præfi-
dium. Nec sanè latet quemquam, omnes opifices esse accuratio-
res, si in rebus elaborandis maiorem honoris ac nominis sui, quàm
pecuniæ habeant rationem. Pretium operarios, gloria Dædalos
facit. Sed ad virtutes est properandum, quibus itidem honor ma-
gnò sæpe fuit incitamento; quamuis multa huic quoque loco ser-
uentia sequenti capiti sunt reseruanda.

A Sapiencia atque Philosophica prudentia incipiamus, eæ
virtutes mirum est, quàm laudatæ crescant. Carolus V. Imp. in
Italiam profectus Neapolim venit. Ibi erat Augustinus Niphus
Suessanus, summus ea ætate Philosophus, cuius eruditi in pleròq;
Aristotelis libros extant Commentarij. Fama igitur tanti viri
motus Imperator, eum ad se venire iussit, comiter que salutatum
ab eruditione laudauit. Niphus, ne opinionem suam, quæ apud
Cæsarem erat, contaminaret, tantò attentius ad singula respon-
dit. Carolo igitur, inter cetera interrogante: *Qua ratione Prin-
ceps optimè regnum administraturus sit?* Respondit Niphus: *Si talis,
qualem tu me esse putas, Imperator, consiliarios & administras habue-
rit.* Responsi acumen admiratus Carolus, encomijs maioribus or-
natum à se dimisit; fecit que laudando, vt post illa, maiores pro-
mereri laudes conaretur: Tantum calcar habet gloria. Iosephum
ducem Iudæum captum Vespasianus semper inter domesticos ha-
buit sapientissimè consulentem. Qua alia de causa, nisi, quia Io-
tapata Galilææ vrbe excisa, omni studio Iosephum, ob eximiam
belli prudentiam, inquisiuit, vt viuum caperet? Cùm que in spe-
lunca quadam latentem comperisset, Nicanorem tribunum misit,
qui data fide eum educeret. Eductum, facta corona, milites om-
nes admirabantur, & circumstabant. Imprimis verò Titus Vespas-
iani

Diodor. lib.
20.

IV.
In Cælij Se-
cundi acroa-
mate.

Ioseph. lib. 3.
c. 14. de bell.
Iud.

M m fiani

fiani F. sapientiæ & fortitudinis ergo vitam ei apud patrem impe-
 trauit, neue Romam ad Neronem mitteretur, effecit. Quæ bene-
 uolentia & honoris exhibitio, ita eum cepit, vt cum Vespasiano
 libens maneret; & qui ei antè armis maximè repugnauerat, iam
 consilijs potissimùm vires suppeditaret. Addamus huic Iosepho
 Iosephum alterum, quem sua sapientia ita promouit, vt ex seruo
 empto, apud principem exercitus, ad summam eueheretur digni-
 tatem. *Inuenitq; Ioseph gratiano coram domino suo, & ministrabat ei,
 à quo prapostitu omnibus, gubernabat creditam sibi domum, & vniuersa,
 que ei tradita fuerant.* Huius honoris gratia ita valuit multùm, vt
 Iosephi prudentiâ, cuncta Putipharis substantia *in adibus, quam
 in agris multiplicaretur.* Sed & honoranti domino ita ea dignitas
 Iosephum gratum effecit, vt mœchæ identidem sollicitanti dice-
 ret: *Ecce dominum meum, omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat
 in domo sua: nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non
 tradiderit mihi, præter te, que uxor eius es: quo modo ergo possum hoc
 malum facere, & peccare in Deum meum?* cuius nutu hæc mihi po-
 testas delata est. Vt enim in hominem non faciliè peccamus, à
 quo beneficijs honorati sumus; ita multò minùs peccare debemus
 in Deum, ob beneficia præterita, præsentia, & futura quæ pro-
 misit, in quo viuimus, mouemur & sumus; cuius beneficium est,
 quicquid boni in corpore animoque possidemus. Itaque S. Augu-
 stinus, de Iosepho loquens ex S. Ambrosio hanc sententiam affert:
*Amator Dei, dilectissimi, amore mulieris non vincitur, castum animum
 incitans adolescentia non permonet, nec diligentis auctoritas. Magni
 planè vir, qui venditum seruire tunc nesciuit, adamatu non redamans,
 rogatus non acquieuit, apprehensum aufugit.* Cur? causam putidissi-
 mæ mœchæ ipse indicauit: *Ecce dominum meum, omnibus mihi tradi-
 tis, ignorat, quid habeat in domo sua, &c.* & ego tanto honori ingra-
 tus, illam vnâ rem, quam mihi nec tradidit, nec tradere potuit,
 appetam? Honorem quidem illum non appetiui; sed quia mihi
 beneficio & heri, & Dei obuenit, indignum foret, si & in herum,
 & in Deum meum peccarem. Non solùm igitur prudentiæ exc-
 rendæ Iosepho, cum potestate, data est occasio, verùm etiam ca-
 sitatis conseruandæ. Cuius virtutis vt custos est pudor, ita quo-
 que insignis solet esse stimulus honor, vt videre fuit in Sulpicia
 Paterculi

Gen. 39. 4.

S. Augustin.
serm. 23.

Paterculi filia, vxore Fuluij Flacci, pudicissima femina, quæ matronarum sententiã, ex centum præcipuis electa est, vt simulachrum quoddam ex Sibyllinis libris dedicaret; vti & Claudia, inductã Romam deũ matre. Aded in his creuit pudicitia honorata, vt Liuius scribat, Hispulam scortum Romæ nobile, à Sulpitia aecerfitam, propè exanimatam fuisse, quòd tam grauem esset feminam conuentura. Nimirum apud ingenuas mentes, etiam post pudorem amissum, adhuc pudicitia gliscit, & multum ad reuerentiam alterius valet bonum nomen. Degeneres animas nec pudor cohibet, nec trahit honor; quia illis potior est voluptas, quàm honestas.

Multa hïc possent commemorari de liberalitate, de humanitate, de clementia, de obedientia, de fidelitate, alijsq; virtutibus, per honoris illecebras auctis: sed mihi sufficet, si de fortitudine aliquid attingam. Multos enim incendit honor, ad præclara facinora perpetranda. Hinc Dio Chrysostomus pro non immutandis antiquis statuarũ titulis perorans, eũ essent, qui suaderent, vt ijs obliteratis adscriberentur noui, atq; hac ratione sumptibus parceretur, in hunc modum locutus est. *Homines indigent & corona, & imagine, & primo loco in confessu, & memoria ad posteros. Et iam multi propter hac mortui sunt, vt vel statuã nanciscerentur, aut præconium, aut alium honorem, atque suis posteris relinquerent opinionem sui æquam memoriamq;. Si quis igitur à vobis sciscitetur, vniuersis his olim ablati, nullaq; in posterum recordatione relicta, neque laude benefactorum, quorumcumq; putatis virum emerfisse admirandum apud omnes, prompteq; in bello decertantem aut tyrannos expellentem, aut semetipsum liberosq; deuotentem salutis communis gratia, aut magnos exantlantem labores virtutis causa? quemadmodum Herculem fecisse aiunt, & Theseum, aliosq; semideos & Heroas; neminem vos nominare posse puto. Nam causam, que prouacet quemlibet pericula contemnere, & labores suscinere, vitamq; voluptuosam & socordem despiciere faciat, haud aliam vllam apud plerasque inuenias. Hoc est, quod in pugnis facit strenuos viros ex aduerso vulnerari, neque tergo dato aufugere: tamen si nonnumquam salutis id presidium sit. Propter hoc ait Poëta, Achillem noluisse summam consecutum senectutem domi mori: atque Hectorem solum stetisse ante ciuitatem: cumq; omnibus, si oporteret, pugnare*

M m 2

fuisse

Plin. lib. 7.
cap. 35.Ludouic. Vi-
ues lib. 2. de
Christian. fe-
mina.

V.

Dio Chryf.
orat. 30.

fuisse paratum. Hoc erat, quod Lacedamoniorum quosdam fecit in locis angustiis, in acie stare aduersus tot Persarum millia. Hoc fecit vestros maiores omnem terram & mare implere trophæis: & quum reliqua Græcia quodammodo extincta esset, solos ipsos per se defendere communi Græcorum auctoritatem vsque ad præsens tempus. Apud Athenæum, Macedones in more habuerunt, vt nullus inter conuiuas discumberet, nisi extra retia aprum interfecisset, tunc enim sedere inter conuiuantes licebat. Apud Herodotum legimus, Scythas semel quotannis singulos regionum principes vinum crateri miscuisse, de quo Scythæ omnes biberent, qui hostium quempiam occidissent; nemo autem gustaret, qui nihil præclari operis edidisset. Is enim, qui fecisset nihil laude dignum, sine honore, seorsim sedere debebat. Quæ res apud eos maximæ erat ignominia. Quod si quis complures hostium cædes poterat enumerare, illi fas erat, duobus pariter, qui aderant, calicibus potitare. Sic simul & vini, & laudis, & laboris fecerunt sitientes. Hic honoris modus ad plures transijt. Nam & apud Gothos honorificum fuit, regiarum mensarum adhiberi; & Alboinus Odouni Gothorum regis filius, interfecto hoste, ad regiam mensam est accumbere iussus: & in sacris historijs Dauid gigante Goliath confecto, apud regem Saulem id honoris est consecutus, vt nouilanij die cum rege accumberet.

1. Reg. 20. 5. *Ecce calenda sunt crastino, ait, & ego ex more sedere soleo iuxta regem ad vescendum, quod etiam ex æmulatione Saulis propè in exitium Dauidis cessit, tamen initio factum est, ad plura eius facinora elicienda. Quod & Xerxes Persarum rex fecit qui etiam Græci nominis acerbissimus hostis esset, Themistoclem tamen Atheniensem patria pulsum, atque ad barbaros se recipere coactum, singulari honore lætitiæque exceperit, sæpiusque inter suos dixit, videri sibi, felicem se esse, quod à fortuna Themistoclem amicum accepisset. Cuius rei tanta cum lætitiâ ceperat, vt sæpe noctu experrectus, ministros rogaret: An secum Themistocles esset? Quin vt fortitudinem eius bellicam excitaret, huiuscemodi verbis congruentia addidit facta: vrbes enim opesque ingentes ei dono dedit. Et quorsum ab antiquis trophæa erecta, quorsum extructi arcus triumphales, quorsum decreti sunt triumphi, nisi vt alij quoque ad hostes prosligandos debellandosque animarentur? Neque alia de causa*

Athen. lib. 1.
cap. 11.

Herodot. lib. 4.

1. Reg. 20. 5.

Plutarch. in Themistocle.

Herodot. lib. 2.

caussa Sesostris Ægypti rex duplicis generis trophæa statuit, unum, quo hostes viros, alterum, quo feminas fuisse ostenderet. Voluit enim docere, quo bello laus, quo dedecus ac quireretur. Quamobrem & memoria fortiter factorum, & stimulus, eiusce- modi honoris monumenta fuerunt.

Qui tamen sciebant, vnde victoriæ essent, Domino exerci- tum gloriam dabant. Ita Machabæi rebus fortiter gestis, in hym- nis & confessionibus benedicebant Dominum, qui magna fecit in Israel, & victoriam dedit illis: Ita & populus Israëliticus canebat: *Tua est, Domine, magnificentia, & potentia, & gloria atq; victoria: & tibi lau- Quin & Gentiles quoque, quamuis errore veri Numinis decepti, tamen, non sibi, sed superis eam gloriam attribuebant. Orthrya- des Lacodæmonius, cum solus contra Argiuos fortiter pugnando euasisset, ex cæcis scuta corripiens trophæum erexit, proprio in- scribens cruore: Ioui, in cuius potestate sunt trophæa. Æneas de Me- centij Rutulorum regis exuuijs trophæum posuit, cùm*

*Ingentem quercum decisis undiq; ramis
Constituit tumulo: fulgentiaq; induit arma,
Mæzenti ducis exuuias, tibi, magna trophæum
Bellipotens, aptat vorantes sanguine cristas,
Telâq; trunca viri, & bis sex thoraca petiunt,
Perfussumq; locis: clypeumq; ex are sinistra
Subligat: atque enses collo suspendit aburnum.*

Satis videt, inquit S. Augustinus, qui & amorem laudis vitium esse cognoscit, quod nec Poetam fugit Horatium qui ait: *Laudis amore tumes, sunt certa piacula, qua te Ter purè lecto poterunt recreare libello. Idemq; in carmine Lyrico ad reprimendam dominandi li- bidinem ita cecinit: Latius regnes auidum domando Spiritum, quam si Libyam remotis Gadibus iungas, & uterque Pœnus Seruiat uni. Verum- tamen qui libidines turpiores fide pietatis, impetrato Spiritu sancto, & amore intelligibile pulchritudinis non refrenant, melius saltem cupidi- tate humana laudis & gloria, non quidem iam sancti, sed minus turpes sunt. Etiam Tullius hoc dissimulare non potuit, in iisdem libris, quos de repub scripsit, ubi loquitur de instituendo principe ciuitatis: quem dicit alendum esse gloria, & consequenter commemorat maiores suos multa mira atque præclara gloria cupiditate fecisse. Hinc ergo vitio non*

VI.
2. Machab.
10. 38.
1. Paralip. 19.
11.
Chyfermus
lib. 3. rer. Pe-
loponnesia-
car. & Plu-
tarch. in Par-
ral.
Virgil. lib. 11.
Æncid.

S. Augustin.
lib. 5. de ci-
uit. c. 13.



Ibid. cap. 14.

solùm non resistebant, verùm etiam id excitandum & accendendum esse censebant: putantes hoc utile esse reip. Quamquam nec in ipsis Philosophia lib. Tullius ab hac peste dissimulor, ubi eam luce clarius confitetur. Cùm enim de studijs talibus loqueretur, qua utiq; sectanda sunt sine veri boni, non ventositate laudis humanae, hanc intulit vniuersalem generalemq; sententiam: Honos alit artes, omnesq; accenduntur ad studia gloria, iacentq; ea semper qua apud quosque improbantur. Huic igitur cupiditati melius resistitur sine dubitatione, quàm ceditur. Tantò enim est quisque Deo similior, quantò ab hac immunditia mundior. Quae in hac vita etsi non funditus eradicatur ex corde, quia etiam bene proficientes animos tentare non cessat, saltem cupiditas gloriae superetur dilectione iustitia. Ut si alicubi iacent, qua apud quosque improbantur: si bona, si recta sunt, etiam amor humanae laudis erubescat & cedat amanti veritati. Tam enim est hoc vitium inimicum pie fidei, si maior in corde sit cupiditas gloriae, quam Dei timor vel amor, ut Dominus diceret: Quomodo potestis credere gloriam ab inuicem expectantes, & gloriam, qua à solo Deo est non quarentes? Item de quibusdam qui in eum crediderant, & verchantur palàm confiteri, ait Euangelista: Dilixerunt gloriam hominum magis quàm Dei. Itaque danda est opera, ne propter honorem amplectamur virtutem; tamen, ut umbra nos vel inuitos comitatur, ita gloria stimulus virtutis virtutem sequatur etiam fugientem; quæ quamuis rectè facientes delectat, tamen aliunde insidiatur, & plus iuuat eos, qui laudant, quàm qui laudantur. Ut enim lumen magis prodest ijs, qui vident, quàm qui videntur; sic gloria famaque virtutis magis confert ijs, qui eam admirantes ad imitationem accenduntur, quàm quibus ea contingit. Hinc multi virtutis æstimatores honorem Mundi non pluri faciunt, quàm fumi vmbra.

CAPVT XXV.

Quibusnam honor, & qualis? præsertim Parentibus, Præceptoribus, & Senioribus debeatur?

I.



anc gloriae mercedem, etsi vanam sit sibi, ut finem virtutis, proponere; tamen iustum est alijs persolvere. Et peccat, qui quos debet non honorat. Honoramus autem

tem.